

tio est reprehensibilis. Hæc non sequuntur. Ratio: quia con-
veniunt oratori non ut oratori, sed ex accidenti, quâ homo
est. Hinc regula: *Ea, quæ per accidens causa tribuuntur, in ef-
fectum cadere non est necesse.* 7. Cùm causa universalis
cum singulari, univoca cum equivocâ confunditur: ut, Deus
creavit hominem. Ergò & homo est Deus. Non sequi-
tur: quia Deus est causa hominis æquivoca & universalis.
Nec hoc sequitur: Sol producit ranam. Ergò rana est Sol.
Nam canon ille: *qualis causa, tale causatum:* valet in par-
ticularibus & univocis causis; ut, homo generat hominem.
8. Cùm relatio quæ cause adjacet, confunditur cum relatione
quæ adjacet effecto: ut, Est pater. Ergò genuit patrem. 9. Cùm
à causâ per accidens argumentamur tanquam à causâ per
se; seu, cùm sumitur accidentarium pro causâ per se: ut,
religio est causa eversionis Rerum publicarum; eloquen-
tia pervertit jus & justitiam. Hic religio & eloquentia
non sunt causæ per se illorum incommodorum, sed ex ac-
cidenti, quatenus nimis homines malitiosè illis abutun-
tur ad perniciem aliorum. Hic solet responderi: *Tollatur
abusus, maneatur usus: A causâ per accidens ad causam per se
non valet consequentia: Substantia rei distinguatur ab acci-
dentiis.* Item,

Usus habet laudem, crimen abusus habet.

Huc pertinet causæ fictio, quæ Græcis dicitur *χεω-*
μα, color, χημα πολιτηγνος λόγος, cùm rei injustæ specio-
fa causa prætexitur, pallium politicum, translatio cau-
sæ &c. ut cùm Demades accusatus, quod decretum scri-
psisset in honestum, de petendâ pace ab Alexandro, re-
spondit, non suo stylo, sed Alexandri hastâ hoc decretum
scriptum esse.

*Fallacia materiæ in specie est, cùm ex materiâ
arguitur necessariò materiatum:*

Ut, Adeſt aurum. Ergò & annulus aureus. Adeſt farina. E.
& panis. Si materia ſit, res effici potest, ait Logicus; non ne-
cessariò eſt. Ratio hujus: quia materia eſt radix potentiarum.
Itaq; potius materia negata evertit effectum, quam affir-
mata illud ipsum affirmat: ut, Panes pinsi non poſſunt; quia
deſt farinā. Aureus annulus fieri non potest; quia deſt au-
rum.
Fallac-